VIAM REGIAM
LVSATIAE SVPERIORIS

PRAESIDE

AVGVSTINO LEYSERO

IN AVLA REGIS POL. CONSILIARIO
IN ACADEMIA VITEBERGENSI ORDINARIO
CONSISTOR. ECCLESIAST. DIRECTORE
CVRIAE PROV. ET SCABINATVS
ASSESSORE PRIMARIO



MONSTRAT

IOHANNES FRIDERICVS SCHWARTZ

LAVBANENSIS.

VITEBERGAE D. V. IVLII cIↄ Iↄ cc XXXII.

Ex Officina GERDESIANA.



I.



Onſtraturus ſum viam, multis abhinc ſeculis tritam, & antiquitate quidem ſua ſatis illuſtrem, nec ulli facile peregrinantium ignotam. Eſt illa via regia Luſatiæ Superioris, qua ex Polonia & Sileſia itur in Bohemiam, Miſniam, Thuringiam, & Saxoniam, aliasque Germaniæ provincias, illis quidem, qui merces vel importantes, vel exportantes, Quiſſum, Luſatiæ ſuperioris fluvium, tranſeunt, ita tenenda, ut, poſtquam Vratislaviam, Brigam aliasque hujus regionis urbes acceſſerint, inde Lignicium, Haynam, Bunslaviam, Naumburgum aut Loebenbergam, mox Laubam, & Gorlicium tendant, inde Bohemiam petituri, Zittaviam, Saxoniam vero aliasque Germaniæ provincias adituri, Budiſſam, Camencium, Koenigsbruckam, Haynam, Oſchacium, hinc vero vel Eulenburgum vel Grimmam, Lipſiam usque proficiſcantur. Hæc via variis quidem variorum Imperatorum, regum, principumque ſanctionibus ſatis eſt munita, adeoque certa & ſimplex, ut mirum videri poſſet quibusdam, nos lucem facere, ubi nox eſt nulla, & id demonſtrare, cujus nemo eſt ignarus. Hi autem ſi intellexerint, quantopere hæc via improborum hominum, optimorum principum intentionem eludentium, cavillationi-

bus tentata sit & impedita, longe forsan aliter judicabunt, existimabuntque, nos rem non plane indignam aut inanem moliri, qui viam hanc ostendendam, & ab impedimentis repurgandam in nos suscepimus. Neque etiam arguat nos quisquam, quod tanta cura, tantoque studio, viæ hujus jura asserimus, aut iniquitatis & injuriæ nos accuset, quod peregrinantium in eligenda via libertatem, qua quilibet pro arbitrio uti posse videtur, restringimus. Agitur enim hic res majoris momenti. Defenduntur vectigalia principis. Versatur hic commodum plurimarum provinciarum, & amplissimarum urbium. Interest Lusatiæ Superioris. Interest Misniæ & totius, quæ regi nostro paret, Saxoniæ. Inprimis vero hic quoque agitur causa celeberrimæ urbis Lipsiensis. Tanto igitur lubentius, tantoque majore voluptate rem aggredimur, quanto magis & regis nostri, & patriæ, cujus amor optimum quemque tenet, referre videtur, ut jura hujus viæ illæsa semper illibataque conserventur.

II.

Ut vero ordine res agatur, imitabimur illos, qui latebrosas & difficiles vias peregrinantibus comiter ostendunt. Hi certe non viam tantum, ejusque initia, a quibus progrediendum est, demonstrant, sed omnia etiam, per quæ iter fieri solet, loca designant, ubi subsistendum sit, monent, interdum etiam causas, propter quas via semel instituta sit tenenda, nec facile deserenda, adducunt. Juvabit & nos, in via satis quidem expedita versantes, non iter saltim accurate designare, sed tradere etiam origines, & causas, quæ majoribus fuerint, viæ hujus instituendæ. Hoc autem ut eo melius fieri possit, inquiremus in originem hujus juris, quo peregrinantes, ut viis, a summis imperantibus designatis, insistant, adstringuntur.

III.

Quodsi accuratius rem consideramus, & in naturam viarum publicarum diligentius inquirimus, videmus quidem,

dem, illas in iis rebus habendas esse, quarum innoxia est utilitas, quarumque usus, dum prodest uni, non nocet alteri. Has autem res natura toti quasi generi humano permisit, earumque usum omnibus gentibus esse communem voluit. Vidit hoc CICERO, vir summi ingenii, & mentem his verbis expressit *L. I. de offic. c. 16. omnia autem communia hominum videntur ea, quæ sunt generis ejusdem, quod ab Ennio positum in una re, transferri per multas potest.*

Ut homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit:
Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Una enim ex re satis præcipitur, ut, quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur cuique vel ignoto. Quod autem CICERO hic generatim differit de communi usu harum rerum, quæ, dum alteri sunt utilia, alteri molestiam & detrimentum non afferunt, id quidem PAVLVS *l. 2. §. 5. D. de aqua, & aquæ pluv. arcendæ* confirmat, imperatores vero DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS *l. 11. C. d. servit. & aqua* expressis verbis sigillatimque ad vias publicas trahunt, ita pronunciantes: *Uti autem via publica nemo recte prohibetur.* Ejus igitur conditionis sunt viæ publicæ, ut earum usu liberrimo nemini facile interdicendum, neque etiam libertas peregrinantium in eligenda, cui insistant, via, restringenda videatur. Nihilo tamen minus experientia nos docet, in omnibus fere rebuspublicis peregrinantibus certis incedendum esse viis, & ab illis sub gravi pœna discedi non posse. Id igitur unde ortum suum trahat, age, ulterius indagemus.

IV.

Sunt equidem, qui viarum publicarum institutionem a sola principum dispositione, eorumque regali, quod dicunt, viarum publicarum jure repetendam esse existimant, a quorum tamen ut recedamus opinione, gravissimæ nos movent causæ. Quamvis enim summorum imperantium pote-

poteſtati nihil quicquam detractum velimus, neque etiam a quoquam, niſi omnium rerum ignaro, in dubium vocari poſſit, jam antiquiſſimis temporibus ſocietates quasdam, mox etiam juſtas respublicas, extitiſſe, nemo tamen nobis facile perſvaſerit, ita ſtatim ordinatas fuiſſe illas, ut principes omnes in communi poſitas res ſibi ſolis adſcripſerint. Tantum igitur abeſt, ut ad eos referenda videatur prima viarum inſtitutarum origo, ut potius a frequenti hominum, quorum alter alterius inſiſtebat veſtigiis, uſu ſit deducenda. Neque tantæ etiam erant primæ illæ civitates, ut ab earum finibus ſine magno peregrinantium incommodo deflecti non potuiſſet. Aucto tamen hominum numero, rerumque publicarum finibus latius propagatis, peregrinationibus etiam omnis generis hominum variis ex cauſis frequentioribus factis, principes ad rem ſuam intentos, ſalutis etiam publicæ cauſa, vectigalia, in viis provinciarum ſuarum maxime uſitatis, ab iis imprimis, qui merces vel importabant, vel exportabant, pendenda, imperare cœpiſſe, peregrinantibus vero, ut a locis, in quibus ſolvenda erant telonia, diverterent, amplius licitum non fuiſſe, a vero non plane alienum eſſe videtur. Ad hoc acceſſit, quod, creſcentibus gentium commerciis, mercatoribus undiquaque concurrentibus, mercesque vel ementibus, vel vendentibus, emporia fuerunt conſtituta a ſummis imperantibus, idque eo fine, ut commodum & ſalutem totius cujusdam provinciæ adjuvarent, vel ſingulas etiam urbes eo illuſtriores ditioresque redderent. Huc igitur res promercales erant perferendæ. Inde denuo ab aliis petendæ. Nulli vero mercatorum permiſſum erat, ut, neglecto poſthabitoque emporio, publica auctoritate conſtituto, merces alibi vel exponeret, aut expoſitas compararet. HERODOTO ſi fides eſt, Naucratis, urbs Ægyptia, tale fuit emporium, idque jam Amaſis, Ægyptiorum regis, temporibus ſatis vetus, quo ut convenirent mercatores, lege publica adſtricti erant. Sic enim ſcribit *L. II. Nam vetus emporium*

erat

erat sola Naucratis. Præter hoc in Ægypto aliud nullum. Quodsi quis in aliud aliquod Nili ostium applicuisset, is necesse habebat dejerare, se venisse invitum, dato jurejurando, se eadem navi ad Canobicum navigaturum: et si id minus per contrarios ventos posset, onera fluvialibus navigiis circumacturum, lustrando Delta, donec perveniret Naucratem. Ita Naucratis in honore erat. Sed præterea exteris ideo etiam certi limites sunt designati, quousque progrederentur, ne totam provinciam pervagantes, reipublicæ arcana scrutarentur. Elegans hujus rei testimonium extat in *l. 4. C. de Commerc. & mercator.* qua HONORIVS & THEODOSIVS, imperatores, mercatoribus interdixerunt, ne ultra urbes negotiis exercendis destinatas progrederentur, his verbis usi: *mercatores tam imperio nostro, quam Persarum regi subjectos, ultra ea loca, in quibus, fæderis tempore, cum memorata natione nobis convenit, nundinas exercere minime oportet: ne alieni regni, quod non convenit, scrutentur arcana.*

V.

Habes originem & causas restrictæ, in variis gentium regionibus, libertatis, qua antiquioribus temporibus peregrinantes in via tenenda uti potuisse videntur. Vidimus, illam ab iis demum temporibus repetendam esse, quibus commercia inter gentes florere cœperunt. Sed rarius ad Germanos veteres, majores nostros, commeabant mercatores, qui ea, quæ tum ad effeminandos animos, tum ad vitam sustentandam pertinent, importarent. Tanto enim minus illi rerum exterarum cupiditate ducebantur, quanto magis omnis vitæ ratio, cui a pueris assveverant, a rebus, quæ ad luxum spectant, aliena erat, quum illa, quæ patrium solum proferre solet, iis sufficerent. Cibis enim utebantur simplicibus. Vescebantur lacte & caseo, pomis agrestibus, & carne, cujus maximam copiam ipsis suppeditabant pecudes,

des, quibus fœcunda erat Germania, teste TACITO *de M.G. c.5.* tum silvæ, quæ densissimæ erant, ideoque ad feras alendas maxime accommodatæ. Vino homines ad laborem ferendum remollescere arbitrabantur. Potus igitur, quo utebantur, erat aqua, ex hordeo & frumento corrupta. Neque majus vestibus statuebant pretium. Venationes enim, quibus cibum conquirebant, vestimenta etiam suggerebant. Pellibus enim ad corpus aliqua ex parte tegendum utebantur, & locupletissimus quisque a pauperrimo non aliter distingvebatur, quam veste paulo curatius confecta, singulosque artus exprimente.

VI.

Vides igitur, rebus ita comparatis fieri non potuisse, ut mercatoribus exteris aditus esset ad majores nostros, qui ab omni luxu, splendore, & voluptate, adeo erant alieni, ut auctore TACITO *de M.G. c. 20.* ne dominus quidem a servo educationis deliciis dignosci posset. Neque erraverim, si, inter ipsas Germaniæ diversas civitates quicquam commerciorum fuisse, negem, cum patria terra tantum cuique civium suppeditaret, quantum appetebat, ut adeo rebus exterarum gentium tanto facilius carere potuerint. Non est nostrum in præsentiarum, inquirere, bene an male sic sibi consuluerint veteres Germani. Id saltem exinde probare volumus, deficientibus commerciis, nec vectigalibus, quæ a mercatoribus, merces vel importantibus, vel exportantibus, pendi solent, locum esse potuisse, multo minus autem vias publicas per Germaniam jam tum designatas fuisse.

VII.

Mutato vero Germaniæ statu, pluribusque minoribus populis in unam Francorum gentem coeuntibus, majorem commerciorum usum esse coepisse, & vectigalia quoque constituta fuisse, evidentia scriptorum testimonia declarant. Ut enim taceam commercia, quæ jam Merovingorum regum temporibus floruerunt, quorumque nomine vectigalia con-

constituta fuerunt, teste CHILPERICO rege, in diplomate ecclesiae Tornacensi dato, CAROLVS M. certe juvandis commerciis admodum studuit, &, ut quam maxime florerent, omnem operam industriamque impendit. Telonia vero pluribus locis solvenda fuisse, leges, quas hac de re promulgavit, testantur. Sed hæc tamen neutiquam impediverunt, quo minus quisque quacunque via iter facere posset. Vectigalia enim iis temporibus non, nisi in refectionem pontium, aut pro trajectu, solvebantur. Testis hujus rei satis locuples est CAROLVS M. imperator, & rex Francorum, qui quidem, de causis vectigalium disponens, ita pronunciat: *ut nemo cogatur ad pontem ire, ad fluvium transeundum, propter telonei causas, quando ille in alio loco compendiosius illud flumen transire potest. Similiter & in plano campo, ubi nec pons, nec trejectus est, ibi omni modo præcipimus, ut non teloneum exigatur.* Vid. BALVZIVS *in capitul. reg. Francor. T. I. c. 54. p. 764.* Vides exinde, CAROLVM M. in vectigalibus exigendis nihil aliud egisse, quam ut fisco, propter impensas, in pontes faciendas, indemnitas præstaretur; at, ut opes inde colligeret, ne in mentem quidem illi venisse. Id quod luculentius apparet ex *capitulari* ejusdem CAROLI M. *15. de anno 805. apud* BALVZ. *T. I. p. 432.* ubi ita loquitur: *nova vero telonea, sive injusta, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus sub pontibus transitur, in quibus nullum adjutorium iterantibus præstatur, ut non exigantur.* Id tamen negari non potest, aliqua restrictæ peregrinantium, inprimis autem mercatorum, in via eligenda libertatis vestigia iis jam temporibus observari. Videmus enim ex capitulari CAROLI M., quod extat apud BALVZIVM *capit. reg. Francor. T. I. p. 425.* mercatores Avaros & Sclavos certis limitibus circumscriptos, atque obstrictos fuisse, ut merces suas in certis saltem locis, in capitulari dicto designatis, exponerent. Verba imperatoris ita se habent: *de negotiatoribus, qui partibus Sclavorum & Avarorum pergunt, quous-*

que procedere cum suis negotiis debeant, id est, partibus Saxoniæ usque ad Bardenuvich, ubi prævideat Hredi, & ad Schesla, ubi prævideat Madalgoz. Ad Magadoburg prævideat Hatto. Ad Erpisfurt prævideat Madalgaudus, ad Foracheim, ad Breemberg, & ad Ragenisburg, Audulphus & Lauriacum Warnarius &c.

VIII.

Insecutis regum Saxonicæ stirpis temporibus, quin commercia incrementa cœperint, nulla plane causa est, ut dubitemus. Quis enim nescit, quantum industriæ impenderit HENRICUS, quem Aucupis nomine designare solent scriptores, qui rerum gestarum monimenta consignarunt, ut Saxonum suorum & totius Germaniæ conditionem meliorem redderet? Quis ignorat, omnes illum nervos intendisse, in gloriam suæ gentis amplificandam? Quanto magis vero ad salutem cujusve reipublicæ promovendam faciunt commercia, tanto minus certe neglexisse videtur illa, quæ ad frequentiorem illorum usum pertinere sapientissimus princeps, pro ea, qua in gubernanda republica pollebat, prudentia, optime perspiciebat. Atque hoc eo probabilius ad fidem videtur, quo certius est ex EKKEHARDO, & capitulari CAROLI M. supra in medium adducto, jam CAROLI M. temporibus plures Germaniæ urbes commercio floruisse. Vectigalia autem mercium aliarumque rerum nomine instituta fuisse, magis verisimile est, quod optime intelligebat prudentissimus Rex, nervos reipublicæ in iis consistere, inde & pacis ornamenta, & belli subsidia, petenda esse. De OTTONE M. denique cognitum habemus, illum anno 966. Bremæ urbi facultatem solennium nundinarum instituendarum concessisse, eaque concessione tum huic, tum aliis quibusdam vicis, & urbibus, indulta effecisse, ut certus esset commerciorum locus, solemnisque mercandi causa conventus. His autem rebus libertatem mercatorum commeandi, mercesque, quocunque vellent,

vellent, deportandi, ſenſim paulatimque fuiſſe imminutam, nemo non videt.

IX.

Sed progredimur nunc ad tempora illa, quibus Germania noſtra commerciis fuit florentiſſima. Admodum paucæ erant, quæ a peregrinantibus olim advehebantur, merces. Neque etiam major illarum rerum copia erat, quæ ad alios perferebantur. Sed dici non poteſt, quantum, Svevicis imperatoribus regnantibus, incrementi cœperit omnis generis mercatura. Imprimis vero ſeculo XI. & XII. patria noſtra commerciis ſic inclaruit, ut nulli rerum publicarum, quæ in Europa extabant, eſſet ſecunda. Neque mentior, ſi dico, illam omnes fere poſt ſe reliquiſſe. Satis celebre eſt fœdus illud Hanſeaticum, & ita cuivis notum, ut multis verbis de eo opus eſſe non videatur. Id ſaltem non poſſum non monere, urbes, quæ in hoc fœdus coiverunt, hoc maxime ſpectaſſe, ut contra prædones ſe defenderent, libereque, quocunque vellent, navigare, merces, imprimis in Germania confectas, exportare, & alias deſideratas afferre poſſent. Quo majus autem fuit illis temporibus negotiandi ſtudium, quo plures etiam undiquaque, tum ex ipſa Germania noſtra, tum ex regionibus exteris mercium petendarum cauſa, concurrebant, tanto faciliores fuerunt principes illorum temporum in vectigalibus & teloniis imponendis. Quæ quo frequentiora facta ſunt, eo magis adſtricti fuerunt peregrinantes, ut viis, in quibus loca teloniis ſolvendis conſtituta erant, inſiſterent. Tantum enim abeſt, ut priſtina ſemper abſtinentia & æquitate uſi ſint Germani in vectigalibus imponendis, ut potius eo proceſſerit imperantium in conquirendis hac ratione opibus ſtudium, ut publica opus eſſet auctoritate, ad coërcendam hominum lucri cupidiſſimorum licentiam, &, niſi omnem commerciorum uſum brevi extinctum vellent, injuſtis illis vectigalibus modus ponendus eſſet. Quid hac de re actum ſit

OTTONIS IV. Imperatoris temporibus, GODOFRIDUS MONACHUS refert his verbis : *Rex & ceteri principes juraverunt firmam pacem, terra marique servandam, omnesque injustas vectigalium exactiones deponendas.* Quanta severitate obviam sit itum injustis vectigalium exactionibus FRIDERICI II. imperatoris temporibus, videre licet ex ejus constitutione de anno 1236. cujus hæc sunt verba : **Wir sezen und bieten, daß alle dy Zolle, dye mit Unrecht gehabent sin, anders dann sie von erst uffgesezet sind, daß dy Hebunge absy, und der Zolle bleibe, als er zu recht sol. Wer das bricht, den soll man halten für einen Straßen-Reuber. Wir sezen und gebieten, daß alle die Zolle, dy syder unsers Vatters Todt Kaiser Heinrich aufgesaßte auf Wasser und uff Lande, von wenne sy gesetzt sind, daß sy gare absyn. Es sy dann der yne bewesren moge von dem Riche, als er von Recht solle.** RUDOLPHUS vero Imperator ita constituit : **Wir sezen und gebieten, daß alle die Zolle, di sit Keiser Friderichs Zeiten aufgesetzet sind auf Waßer und auff Lande, von swem sie gesezet sint, daß sie gar absin. Es ensi, das der, der in da hat, beroden mûg von dem Riche, daß in ze rechte haben sol.** Neminem etiam latet, quantæ molis fuerit res, cum ALBERTUS I. vectigalibus injustis tollendis manum admoveret, annoque 1301. ita disponeret : **Die nuwen Zolle selent auch abesin, swo si gemachet sint uf dem Lannde, oder uf dem Waßere.** Malo huic, quo omnis Germania laborabat, sanando non leges sufficiebant, utpote quibus nunquam obtemperatum esset, nisi armis quoque contradicentes fuissent coerciti, vid. CHRON. COLMAR. *P. II. p. 61. & 62.* ALBERTUS ARGENTIN. *p. 112.* Tandem vero cum & ipsi imperatores in concedendis, quæ principes exigerent, vectigalibus, indulgentiores essent, pecunia etiam accepta, monopolia pluribus permitterent, adeoque omnem fere commerciorum libertatem tollerent, publica imperii lege sancitum est, ipsique imperatores per capitulationes, quas dicunt, adstricti fuerunt, ut nimia vectigalia coer-

coercerent, modumque monopoliis ponerent; adeoque peregrinantibus, imprimis vero mercatoribus, qui corruptis illis temporibus vix pedem libere proferebant, aliquantum libertatis naturalis restituendum curarent. vid. THVANVS *L. XLVII.*

X.

Sed præter eas, quas jam enarravimus, causas alia nunc, eaque gravissima, propter quam libera peregrinantium facultas, iter quacunque via prosequendi, fuit imminuta, sese nobis offert, quæ ita comparata est, ut minus in se odii, quam reliquæ, ante a nobis in medium allatæ, continere videatur. Inveteratus nimirum reipublicæ nostræ morbus fuit, ut latrocinia in ea essent frequentissima, nullamque, dummodo extra fines illius, cujus quisque membrum erat, civitatis fierent, infamiam haberent. Quid? quod, teste CAESARE *de B. G. L. 6.* ea juventutis exercendæ ac insidiarum minuendarum causa fieri prædicabantur. Et ab initio quidem Germani prisci, testante MELA *L. III. de situ orbis*, hospitibus mites bonique extiterunt. Sed postea nec his pepercerunt, verum, neglectis sanctissimis naturæ & gentium legibus, & contemta fide, qua tamen totius humani generis societas continetur, nulla personarum, rerum aut loci ratione habita, grassabantur, alterque alterum, aut sine omni causa, aut ex levi saltem, adoriebatur, neque prius quiescebat, quam animum sangvine, spoliis, incendiis, aliisque sceleribus, satiasset. Publicam igitur securitatem turbare, adeo quidem usu receptum erat, ut nemo facile, sine vitæ bonorumque periculo, iter facere posset. Huic igitur malo, tum universo hominum generi exitioso, tum inprimis commerciis damnoso, ut obviam iretur, nulli quidem industriæ, nullique studio & labori perpecerunt imperantes, &, si vel maxime intestina bella, quæ diffidationes a mediæ latinitatis scriptoribus dicuntur, tolli plane non possent, latrociniis saltem ut modus poneretur, studuerunt.

 Hinc

Hinc variis imperii legibus, quas latius recenſet DATTIVS *de Pace Publica L. I. c. 16.* injunctum fuit belligerantibus, ut manum a vineis, olivetis, molendinis, animalibus & inſtrumentis, ad agriculturam pertinentibus, itemque ſacris ædibus abſtinerent. Imprimis vero, pro mercatorum omnisque generis peregrinantium ſecuritate plus ſimplici vice conſtitutum fuit, ut nemo illos quocunque modo læderet aut violaret. Ita diſpoſuit LUDOVICUS BAVARUS, Imperator, anno 1332. **Wir ſezen auch und gebieten, daß man auf Waßer und Land ſchirmen und wehren ſall, in des vorgenanten Land-Frides zilen, allen Raub, allen Brand, Gefängnuße und alle Gewalt, die den wiederfahrent, die zu dißme Land-Frieden hörent, und auch allen Kaufflüden und allen guten Lüden, die in des Landt-Friedes zilen ritent oder fahrent, gehent oder wandelent, ane alle geferde.** Hunc in modum ſæpius diſpoſitum fuit a variis imperantibus, quos recenſet DATTIVS *l. c.*

XI.

Sed plus tamen valebant corrupti ſeculi mores, quam bonæ leges, parumque in his peregrinantibus præſidii erat. Vi opus erat & armis, ad coercendam perfidorum hominum improbitatem, qui tantum jam tum potentiæ conſecuti erant, ut leges non armatas contemnerent. Cum itaque ſecuritas publica melius atque efficacius afferi non poſſet, quam per conductus, & judicia, in latrones ſeverius exercenda, varii imperii ordines, fœderibus inter ſe initis, mutuam ſibi opem in extirpandis graſſatoribus, publicaque ſecuritate reſtituenda & conſervanda, promiſerunt, & non judices ſolum conſtituerunt, qui latrones conquirendos puniendosque curarent, ſed milites etiam, tanquam firmiſſima tranquillitatis publicæ præſidia, conſcripſerunt, qui peregrinantes comitarentur, ipſosque ab omni injuria latronum ſecuros præſtarent. Ita enim dicitur in inſtrumento pacis publicæ, quam anno 1325. ſtabiliverunt Moguntini, Argentoratenſes, Wormatienſes, Spirenſes & Oppenheimenſes apud

LEH-

LEHMANN. in *Chron. Spirenſ. L. VII. c. 30.* und daß dieſer Frid ſteet, veſt und bindlich verlibe, ſo hant wir zu Nutz, zu Friden und gemach den Lüten und dem Lande ein gemein geleyte aufgerichtet, und uffgeſetzet, zu Mentze an dem habte, da ſoll man nemen von den Fuder Win Elſäßers 2c. 2c. Atque hoc jus conducendi ad ea pertinet, quæ dominis terrarum ſunt propria, eumque habet effectum, ut is, qui peregrinantem vel ipſe, vel per ſuos, comitatur, læſo ad omne damnum, quod is a latronibus patitur, reſarciendum teneatur. Huc ſpectant verba SPECVLI SAX. *L. II. art. 27.* Wer einen Geleite giebt, der ſoll ihn vor Schaden behüten, oder ſoll ihn den Schaden gelten. Quod tamen tum demum obtinet, ſi læſus a via regia, publica auctoritate conſtituta, non diſceſſit. Deſignati ſunt hac de cauſa limites, quousque progrediendum eſſet, quos ſi quis exceſſerat, & a latronibus ſpoliatus erat, ſibi ipſi damnum imputabat. Ille vero, qui comitatum dederat, a reſtitutione erat immunis, per ea, quæ tradunt, FRITSCH *de jur. viar. publ. c. 12.* & HERTIVS *de Super. Territoriali* §. 22.

XII.

Habes itaque cauſas, ob quas peregrinantium in eligenda via, cui inſiſterent, libera facultas fuit circumſcripta, ex quibus ipſis introducta quoque fuit illa ſuperioris Luſatiæ regia, de qua in præſentiarum nobis eſt agendum. Atqui vero non dubitamus, quin hæc noſtra pariter, ac aliæ, in aliis regionibus, uſu crebro hinc inde commigrantium ſit inſtituta, jamque ſeculo nono, quo quidem Polonos Luſatiam tenuiſſe, ſcribit MANLIVS *Rer. Luſat. L. I. c. 44.* fuerit uſitata. Quando autem illa magis cœperit frequentari, de eo certi quid afferre nobis non licet. Quantum tamen conjectura aſſequi poſſumus, exiſtimamus, ultra tempora Saxonicorum Imperatorum procedi non poſſe. Sub OTTONE M. teſtatur DITHMARVS MERSEBVRGENSIS *Lib. II. edit. Leibnit. p. 383.* Poloniam tributariam & clientelarem

Ger-

Germaniæ esse factam. De Miscone vero devicto ita scribit: *Gero, orientalium Marchio, Lusitzi & Selpuli Misiconem quoque cum sibi subjectis imperiali subdidit ditioni.* In fide etiam Misiconem perstitisse, imperantibus OTTONE II. & III. testatur idem DITHMARUS *Lib. II. edit. Leibn. p. 349.* inquiens: *In diebus illis Misico semet ipsum Regi Ottoni III. dedit & cum muneribus aliis camelum præsentavit, & duas expeditiones cum eo fecit.* Conversis denique *eodem auctore Lib. IV. ap. Leib. T. I. p. 359.* ad Christianorum sacra Poloniæ incolis, constitutisque episcopatibus Magdeburgensium præsuli subordinatis, tanto sine dubio frequentior hæc via facta est, quanto plus negotii in dies inter Germanos Polonosque esse cœpit. Neque alienum a fide videtur, multum ad viæ hujus celebritatem frequentemque usum contulisse famam S. Adalberti, miraculis, pro illorum temporum superstitione, clarissimi, ad cujus sepulchrum iter religiosum suscepisse dicitur OTTO III. a DITHMARO sæpius allegato *Lib. IV. ap. Leibn. p. 357.* cujus verba ea imprimis de causa huc transcribimus, quod Cæsarem iter per ipsam Lusatiam atque Silesiam fecisse demonstrant. Sic autem scribit: *Caesar ad Cicensem perveniens urbem, a secundo Hugone, ejusdem sedis provisore tertio, ut decuit Imperatorem, suscipitur. Deinde recto itinere Misnensem tendens ad civitatem, a venerabili Egedo, hujus Ecclesiæ Episcopo, & a Marchione Ekkehardo, qui apud eum inter præcipuos habebatur, honorabiliter accipitur. Decursis tunc Milcieni a) terminis huic ad b) Diedesisi pagum venienti Bolizlaus, qui major laus non merito, sed more antiquo,*

a) Milcienum pagum esse eundem, qui hodie Lusatiæ superioris nomine appellatur, ex Imperatorum Saxonicorum & Salicorum diplomatibus probat GUNDLING *in Henrico Aucupe p. 171.* Add. SCHURZFLEISCH. *diss. de Lusat. §. 5.*

b) Diedesisi pagus est Milcienis & Silesiis finitimus. *vid.* PAULINI *de pagis antiquæ Germaniæ p. 58.*

quo, interpretatur, parato in loco, qui Ilva dicitur, ſuimet hoſpitio multum hilaris occurrit. Qualiter autem Cæſar ab eodem tunc ſuſciperetur, & per ſua usque ad Gneſin deduceretur, dictu incredibile atque ineffabile eſt. Videns autem longe urbem deſideratam, nudis pedibus &c. Quæ quum ita ſint, minus dubito, plures, ſubſecutis temporibus, Imperatoris exemplum imitatos eſſe. Perſvadent hoc mihi mores illius ſeculi ad ſuperſtitionem, & ſacra præſertim hujus generis itinera maxime proclives. Has autem ipſas peregrinationes ſacras multum ad uſum frequentiorem commerciorum contuliſſe, adeo certum eſt, ut nemo id, niſi rerum antiquarum expers, ſit negaturus. Quibus temporibus tamen mutua utriusque gentis commercia maxime florere cœperint, de eo ſilent ſuperioris ætatis ſcriptores. Equidem HELMOLDVS & ADAMVS BREMENSIS referunt, jam antiquiſſimis temporibus Saxones ex portu Sleſvicenſi ad Pruſſos navigaſſe, pelleſque inde, utpote ſuperbarum veſtium materiam, petiiſſe, adeoque probabile ad fidem videtur, ſubſequentibus temporibus hac etiam via, varias hujus generis merces, & alias res, quibus Polonia abundat, utputa frumentum & ſal, in Germaniam illatas & pecudes ad nos actas eſſe.

XIII.

Diſcedimus igitur ab iis, de quibus ſcriptores, qui res geſtas ſuperiorum temporum conſignarunt, ſilent, & progredimur ad recentiora. Hic vero ſe offerunt teſtimonia, omni exceptione majora, ex quibus ſatis ſuperque conſtat, nec novam eſſe hanc viam, nec ſuperioribus ſeculis deſertam, ſed potius ſatis illuſtrem atque frequentatam fuiſſe. Apparet illud ex literis Henrici, Wittigonis, & Henrici de Camentz, qui jam ſub initio ſeculi XIV. uſum telonii, quod ab iis, qui ex Sileſia Poloniaque veniunt, eoque proficiſcuntur, pro tranſitu pendi ſolet, & noſtra lingva **der Durch-Zoll** appellatur, Apezoni cuidam, feudi nomine dederunt.

derunt. Id vero, quod inprimis ad viæ hujus celebritatem demonstrandam pertinet, est diploma JOANNIS, marchionis Brandenburgici, qui anno 1315. usum ejusdem vectigalis, quod a peregrinantibus, urbemque Gorlicium transeuntibus, solvendum est, filiis dicti Apezonis, Gunzelino, Ulmanno, Nicolao, Petro & Johanni, civibus Gorlicensibus, in feudum dedit, & pro investitura nonaginta marcas argenti accepit. Patet ex hac pensione, ut tum tempora erant, sat grandi, viam hanc nostram illis jam temporibus frequentatissimam fuisse. Verba, quæ huc pertinent, & in literis JOANNIS, Marchionis Brandenburgici, continentur, digna sunt, quæ hic inserantur, ut eo melius de re judicari possit. Ita autem se habent: *Norint universi, quorum notitiæ exhibebitur præsens scriptum, quod nos Dei gratia Brandenb. & Lusatiæ Marchio contulimus & per præsentes literas debito & consueto feudi titulo conferimus prudentibus viris Gunzelino suisque hæredibus legitimis, fratribus videlicet, Ulmanno, Nicolao, Petro & Joanni, Civibus in Goerlitz, filiis Henrici, felicis recordationis, Apezonis, dicti monetarii quondam filii, manu conjuncta, & insolidum teloneum transitus per ipsam civitatem, quod vulgariter dicitur* Durch-Zoll, *quod ipsi quondam a Domino de Camentz noscuntur in feudo possedisse, possidendum & tenendum a nobis & nostris successoribus prædicto jure feudali libere atque quiete absque omni exhibitione personalis servitii & realis. Proinde nobis fratres prædicti dederunt & persolverunt complete nonaginta marcas argenti Brandenburgensis, & pondere, de quibus ipsos quietos dicimus per præsentes. In cujus rei testimonium nostro sigillo sigillatum dari jussimus præsens scriptum datum Enswalda anno Dni 1315. Feria 4. ante nativitatem B. Mariæ.* Viam autem hanc jam JOANNIS, Brandenburgici Marchionis, ætate ita circumscriptam fuisse, ut proficiscentibus ab ea discedere licitum non fuerit, apparet ex JOANNIS, Bohemiæ Regis, diplomate, in quo litem inter Gorlicenses & Zittavienses

ses de hac via nostra ortam decisurus ad literas Brandenburgici Marchionis provocat, iisque nisus viam, qua per urbem Gorlicensem itur, non solum confirmat, sed reliquas etiam, quæ Seydenbergam, Schoenbergam & Friedlandiam ducunt, reprobat, ita pronuncians: *Nos Joannes, Bohemorum Rex, ac Lucemburgensis Comes, notum facimus tenore præsentium universis, quod inter fideles nostros, dilectos cives civitatum nostrarum Goerlicensis & Zittaviensis, super transitu stratarum per Seidenberg & Schoenberg, in districtu Goerlicensi, & quibusdam juribus, litis controversia suborta extiterit, ad cujus sopitionem prædictis civibus utriusque civitatis terminum ad nostram præsentiam præsignando deputavimus deputatum, in quo prædicti cives nostri Goerlicenses coram nobis jure & antiquo testimonio Marchionis Brandenburgici demonstrarunt rationabiliter, quod etiam in antea perpetuis temporibus sanximus & statuimus, a singulis mercatoribus & vectoribus, cum quibuscunque rebus transeuntibus, infallibiliter observari, videlicet, ut omnes mercatores, vectores, & quilibet de Saxonia, Polonia vel aliunde transeuntes, ut prædictum eum districtum Goerlicensem attigerint, principaliter trans civitatem nostram Goerlicensem transire, & singula jura & consvetudines ibidem debitas, seu ab antiquo observatas, observare debeant & explere. Inhibemus itaque, & inhiberi mandamus, ut nullus omnino stratas per Friedland cum quibuspiam mercibus seu aliis rebus transire debeat, prout indignationem regiam, & corporis & rerum evitare voluerit periculum. Committimus igitur illustri Carolo, Marchioni Moraviæ, primogenito nostro charissimo, & cæteris nostris hæredibus, & successoribus, & mandamus universis nostris officialibus, præsentibus & futuris, quatenus prædictos cives nostros Goerlicenses in prætactis gratiis, juribus & consvetudinibus conservare, & prædictas stratas per Friedland cæterasque in districtum Goerlicensem prohibitas, inhibeant, & per alias stratas ad dictam civitatem nostram Goerlicensem transire singulos*

gulos arceant ac compellant, secusque facientes in rebus & corpore nostra auctoritate punire debeant gravi pœna. Harum, quibus nostrum majus sigillum appendendum duximus, testimonio literarum &c. Dat. Pragæ feria 6ta ante Trinit. anno Domini millesimo Trecentesimo quadragesimo primo. Quæ si comparantur cum illis, quæ brevibus dicuntur in literis JOANNIS, Brandenburgici Marchionis, facile apparet, jam tum vectigalium causa adstrictos fuisse peregrinantes, ad viam hanc Lusatiæ superioris publicam persequendam. Tantum igitur abest, ut, MANLIVM secuti, statuamus, primam hujus viæ institutionem JOANNI Bohemiæ Regi tribuendam esse, uti scribit *L. VI. c. 33. rerum Lusatic.* aut cum MEISTERO faciamus, qui originem ejus ad CAROLVM IV. refert in *Annal. Gorlicens. apud Hoffmann. in script. Lusat. Tom. I. Part. II. p. 11.* ut potius longe antiquiorem illam esse credamus. Quod si enim tunc demum constituta esset via nostra, certe JOANNES Rex neque ad testimonium Brandenburgici Marchionis provocare, nec, Gorlicensium jus consvetudine, diuturno usu, introducta niti, affirmare potuisset.

XIV.

Sed hæsitas forsan, atque scire cupis, qua causa moti Gorlicenses præ ceteris pro defendenda hac via, tanquam pro aris & focis, laborarint. Variis scilicet de causis illorum maxime interfuit, ne relicto itinere, quod ad urbem ipsarum ducit, alia via incederent peregrinantes. Ex diplomatibus enim supra adductis apparet, concessum fuisse illis usum vectigalis, quod pro transitu a viatoribus solvitur. Hoc autem privati fuissent, si quidem libera, a via semel instituta deflectendi, facultas fuisset. Deinde neminem latere potest, quantum, præter illam, quam ex telonio percipiunt, utilitatem, commodi ad totam civitatem redundet ex frequenti hominum mox huc, mox illuc proficiscentium transitione, quorum nemo urbem facile egreditur, nisi pecuniæ

cuniæ quicquam vel pro cibo potuque, vel aliis rebus, ad iter prosequendum neçessariis, expendat. Accedit porro, quod, cum per Camenzium, Budissam, Koenigsbruckam transeant illi tantum, qui ex Saxonia aliisque Germaniæ provinciis in Silesiam tendunt, Gorlicium transeundum sit etiam illis, qui ex Bohemia in Poloniam proficiscuntur. Hac igitur de causa tanto majorem curam pro viæ hujus juribus conservandis adhibendam esse existimarunt, quanto majus exinde sentiunt emolumentum. Denique Gorlicensibus etiam propter pannificum, qui in ea urbe commorabantur, frequentiam, jam olim ratione glasti concessum fuit jus, quod dicunt stapulæ, vi cujus omnes mercatores, qui materiam hanc, colorandis pannis apprime aptam, ad alios deferunt, & Lusatiam superiorem intrant, sunt obstricti, ut Gorlicium veniant, mercesque suas ibi venditum exponant; Ut de re constet, addo verba, quibus CAROLVS IV. in confirmando hoc jure usus est in diplomate, quod dedit anno 1356. Ita vero illa se habent : *Quicunque vero mercatores seu vectores sandicem ducentes quibuscunque temporibus vel horis districtui Budissensi & Goerlicensi applicuerint, postquam metas illorum districtuum ingressi fuerint, tenebuntur & debebunt perpetuis temporibus ipso facto intrare civitatem Goerlicensem, & ibidem deponere sandicem, & cum eodem continuare ibidem, ac omnia & singula alia facere, quæ antiquitus jure vel laudabili consvetudine noscuntur observata.* Quod jus confirmatum etiam est a FERDINANDO I. his verbis : Zum eilfften so gebeut auch der Käyser allen Kauffleuten, die mit Waith handeln, welche die beyde Weichbilder und Kreyße, als Budißin und Görlitz damitte berühren, daß sie solchen Waith nirgends anders wohin, dann gen Görlitz führen, alda abladen, verkauffen und verhandeln sollen, auch darvon der Stadt thun und geben, was sie zu alten Rechte von solchen billig zu fordern haben. Habes itaque causas, propter quas Goerlicenses viam hanc nostram omnium accerrime defenderunt,

derunt, licet plerarumque civitatum etiam interfuerit, ne quicquam in detrimentum viæ regiæ committeretur. Animadvertis etiam, quod hoc viæ jus Lusati tanta contentione defenderunt, rem non esse parvi, sed maximi momenti.

XV.

Longe autem magis frequentari coepit hæc via, postquam Fridericus II. princeps Elector Saxoniæ auctoritate FRIDERICI III. Imperatoris, anno 1458. urbi Lipsiensi permisit, ut solemnes nundinas ter singulis annis celebraret, simulque jus illud decantatissimum, stapulæ, quod dicunt, concessit, atque adeo plures undiquaque mercatores merces tum importantes, tum petituri & ad exteros denuo exportaturi Lipsiam petierunt. Ab his certe temporibus via hæc celebrior facta, & non solum ab Imperatoribus Bohemiæque Regibus, sed & a Saxoniæ Ducibus fuit confirmata. Possent hic multa variorum Imperatorum, Regum Principumque edicta in medium afferri, quibus tota hæc via designatur. Sed nolumus hic justo esse prolixiores, ne nauseam lectori moveamus. Qua de causa illud tantum hoc loco adducimus, quod quatuor post annis, quam nundinæ Lipsienses sunt institutæ, litis, inter Joannem, Sagani Ducem, & Gorlicenses ortæ, decidendæ causa proposuit GEORGIUS, Bohemiæ Rex, in quo viam hanc ita descripsit: also daß alle und iegliche bedackte, verbundene, mit Saltz und andere Wagen, Kauffleute und Fuhrleute mit welcherley Waaren, oder Kauffmanschatz leer oder geladen von Sachsen, Türingen und Meißen in die Lande gen Pohlen und Schlesien reisen, reiten, treiben oder fahren, und gen Eulenburg oder Grimm kommen, und von den auf Oschatz, Hayn an der Elbe gelegen, sollen fürder auf Künßbrück, Camentz, Budißin, Görlitz, Lauban und den fürter gegen Pohlen oder in die Schlesien reisen, reiten, treiben oder fahren, und also wiederum alle und iegliche bedeckte, verbundene, mit Saltz, und alle andere Wagen Kauffleute und

Fuhr-

Fuhrleute, mit welcherley Waaren und Kauffmanschatz leer oder geladen von Pohlen und Schlesien in die Lande gegen Sachsen, Thüringen oder Meißen reisen, reiten, treiben und fahren wollen mit welcherley Waare und Kauffmannschatz das sey, die den Queiß rühren, und drüber kommen, sollen auf den Lauben, und von dannen auf Görlitz, Budißin, Camentz, Künßbrück, und fürder in die Lande Sachsen, Thüringen und Meißen, auf den Hayn, Oschatz, Grimm oder Eulenburg, reisen, reiten, treiben oder fahren rc. rc. Apparet exinde, ab ea ætate peregrinantes, inprimis vero mercatores & aurigas, merces vel invehentes vel petentes, non propter vectigalia tantum, in Lusatia superiore solvenda, ut viæ huic nostræ insisterent, obstrictos fuisse, sed vel maxime ea etiam de causa ab ea recedere non potuisse, ne juri stapulæ, quod Lipsia acceperat, quicquam detrimenti afferretur. Id enim ut salvum semper illæsumque servaretur, Saxonum Principes & Imperatores omnem curam adhibuerunt, atque iis, qui quicquam in Lipsiensium commerciorum detrimentum moliebantur, graviter obstiterunt, persvasi, ad salutem Saxoniæ, totiusque Germaniæ dignitatem pertinere, ut emporium per omnem terrarum orbem celebratissimum quam maxime floreret: Notum est, quid actum sit anno 1512. quo Regis VLADISLAI autoritate concessum erat Vratislaviensibus jus stapulæ. Quod enim cum Lipsiensium juri quam maxime obesse intellexisset GEORGIVS Dux Saxoniæ, omnes nervos intendit, ut id, quod in odium Lipsiensium concessum fuerat, aboleretur, missisque legatis, effecit, ut tandem Uladislaus sequentem in modum rescripserit: P. P. Als wir vor einen Jahre vergangen nach Rath unser Räthe beeder Cronen in Handel die Niederlage zu Breßlau belangend, in Beywesen Eurer Lieb geschickten Räthe verlassen, und den Partheyen einen Bescheid gegeben, wolten uns weiter der Niederlage halben befragen, und darnach weitere Tageleistung ansetzen. Wo wir denn an demselben Thun der Niederlage viel Beschwerung gefunden, haben wir den Ehrbaren

Straſſen erzehlter Maaſſen bauen, fahren, und treiben, und von Spremberg, und oben herunter, ihren Weg auf Muſcau zu nehmen müſſen, keiner von ſolcher gewöhnlichen Land-Straſſen abweichen, oder etwan auf andere Wege ſich begeben, und dadurch einigen Unterſchleiff ſuchen und gebrauchen, ſondern auf der ordentlichen Straſſe von Spremberg auf Muſcau unausſetzlich bleiben, und dieſelben halten ſolle ꝛc. ꝛc. hæc tamen verba eo neutiquam trahenda ſunt, ut viæ Luſatiæ ſuperioris regiæ quicquam detrimenti afferatur. Illos enim hic ſolos intelligi, qui ex urbibus locisque Luſatiæ ſuperiori confinibus in Sileſiam proficiſcuntur, nec tamen Quiſſum flumen transeunt, patet cum ex verbis ejusdem edicti, in nota ſubjecta allegatis, tum aliis hujus Principis conſtitutionibus, de via Luſatiæ ſuperioris regia promulgatis, in quibus ſevere interdictum fuit omnibus, qui vel ex Polonia Sileſiaque in Saxoniam proficiſcuntur, vel in reditu Poloniam Sileſiamque adeunt, ne a via regia, quæ ſuperior vulgo dicitur, ullibi diſcedant. Idem placuit poſtea JOANNI GEORGII II. Principi Electori Saxoniæ, ut vidimus §. 22. Et licet JOANNES GEORGIUS III. pariter ac FRIDERICUS AUGUSTUS, Rex noſter ſereniſſimus, gravi cauſa commoti, permiſerint, ut illi, qui flumen Quiſſum non trajecerint, via Luſatiæ inferioris utantur, id tamen principes modo dicti nunquam conceſſerunt, ut illi, qui Laubam acceſſerunt, a via Luſatiæ ſuperioris denuo divertant, quemadmodum ſupra in §. 23. demonſtravimus. Tantum etiam abeſt, ut ea, quæ ſubinde contra viam regiam tentata ſunt, ipſi Comiti illuſtriſſimo tribuamus, ut potius demiſſiſſimo cultu illum veneremur, certi, illum ab omnibus, quæ juri adverſantur, eſſe alieniſſimum, ea vero, quæ nomine ejus contra Luſatiæ ſuperioris viam moliti ſunt quidam, privatæ horum temeritati adſcribenda putemus.

XXV.

Animus erat, finem huic opuſculo imponere, ſed quo minus id faciamus, impediunt, moramque faciunt illi, qui verba

verba illa VLADISLAI : Daß alle und iegliche Kauffleute und Fuhrleute, die aus Pohlen und Schlesien &c.&c. in die Lande Meissen, Sachsen und Thüringen wollen &c.&c. in favorem illorum, qui diverticula quærunt, ita interpretantur, ut illos quidem, qui in provincias modo recensitas proficiscuntur, ad viam Lusatiæ superioris publicam tenendam obligatos esse profiteantur, illos vero, qui in alias Germaniæ regiones abeunt, ut via hac nostra incedant, neutiquam adigi posse, censeant. Sed quantopere hi subtiliores interpretes errent, perspici potest ex iis, quæ anno 1580. & 1589. constituta sunt a RVDOLPHO II. Hic enim ut obviam iret fraudi temerariorum interpretum, antecedentium principum mentem ita explicat : Daß sich alle und iede Handels- und Fuhrleute mit allen Kauffmannschafften, als Saltz, Vieh, und andern Waaren, wie die Nahmen haben mögen, welche aus Pohlen, Schlesien durch Brieg, Breßlau und derer Lande Orthen mehr herkommen, und förder in die eußere Lande, als Sachsen, Meissen und Düringen, auch weiter ins Reich fahren oder treiben wollen. &c. &c. Qua ipsa formula usus etiam est SEBASTIANVS, Episcopus Vratislaviensis, & Silesiæ præses, ex auctoritate Cæsarea anno 1671. ita scribens : Daß die Kauff-Handels-und Fuhrleute, wie zu Wasser, so zu Lande, verbotene Neben-Bey-und Schleiff-Wege sucheten, und die in dem Hertzogthum Schlesien über 300. Jahre privilegirte sogenannte hohe Land-Strasse aus der Cron Pohlen durch Schlesien und die Ober-Lausitz in die Länder Meissen Thüringen und Sachsen nach Leipzig und ferner in das Reich gantz veröden und verwüsten thäten &c. &c. Verba hæc tam certa sunt, ut extra omne dubium positum sit, omnibus, qui ex Polonia Silesiaque veniunt, quascunque Germaniæ provincias petituri, hac via nostra incedendum esse, & formulam in die Lande Sachsen, Meissen und Thüringen, ad solam, quam hodie superiorem dicimus, Saxoniam neutiquam restringi posse. Imo quavis sponsione certarem, JOANNI, CAROLOque IV. differentiam

rentiam illam, inter superiorem inferioremque Saxoniam, ne in mentem quidem venisse, cum notum sit in vulgus, distinctionem illam recentioribus demum temporibus introductam fuisse. Sed quid tot verborum ambagibus opus est, ubi rerum testimonia adsunt, omni exceptione majora? Rex enim noster serenissimus certior factus, quosdam mercatorum Laubanensium & Marglissensium, neglecta via regia, merces suas per urbes Muscam, Sprembergam, Magdeburgum, Luneburgum, ad Hamburgenses exportasse, d. 27. Junii 1705. ita rescripsit: Wir sind berichtet worden, ob solten einige Leinwand-Händler in unsern Marggrafftthum Ober-Lausitz, insonderheit zu Lauban und Marglissa, ihre Waaren, wie sie doch zu thun schuldig, nicht mehr auf der hohen Strassen über Görlitz, Budißin, Camentz, Königsbrück, Hayn, Oschatz, Grimma oder Eulenburg auf Leipzig, sondern über Muscau, Spremberg, Röschen, Dohna, Niemeck, Lohburg, Magdeburg, Wolmerstädt, Gardeleben, Ulzen und Lüneburg nacher Hamburg sendeten &c. &c. Denique rem totam conficit illud, quod idem potentissimus Rex noster d. 23. Febr. 1723. publicandum curavit, decretum, in quo distinctio illa superiorem inter & inferiorem Saxoniam ad antiquissimorum rescriptorum examen vocata, & re accuratius considerata, fuit rejecta, omnibusque peregrinantibus ex Polonia Silesiaque venientibus, in quascunque Germaniæ regiones euntibus, injunctum, ne a via superioris Lusatiæ regia ullibi discedant, sed potius recta Lipsiam usque progrediantur. Dignum est illud, quod omnium oculis subjiciatur. En ergo ejus verba: Veste Räthe, Liebe getreue, Wir haben verlesen hören, was ihr wegen der sogenandten Hohen- und Nieder-Strassen unter den 27. Junii, 30. Julii und 16ten Sept. abgewichenen Jahres ausführlich in Unterthänigkeit berichtet habet, es ist auch dasjenige, was auf ungleiche Veranlassung der Räthe und Sechs-Städte zu Budißin, Görlitz, Zittau, Lauban, Camentz, Löbau, ihr immediate, untern 24. Augusti, in unser geheimes Consilium berich-

berichtet, dabey in consideration gezogen, und die gantze Sache dahin zur Decision gediehen, folgendes Inhalts;

Ob ihr zwar wohl in den Gedancken stündet, daß den Schlesischen Fuhrleuten, die mit Wahren nicht auf die Messe nach Leipzig, sondern nach Hamburg und in die See-Städte fahren, die passirung der Nieder-Strasse zuzulassen sey, gestalt auch Unsere Cammer zeithero, biß zu endlicher Ausmachung des Hauptwercks, sothanen mit der Fracht gehenden Fuhrleuten ietztgedachte Niederstrasse oder auch die hohe Heer-Strasse promiscue zu bauen concediret, so wollet ihr doch auch über die erste hauptsächlich privilegirte, und die letztere Strasse, annoch die dritte einführen, und vermeintet, wenn gleich ein Schlesischer Fuhrmann mit nach Hamburg oder in die See-Städte destinirten Kauffmanns-Güthern den Queiß einmahl passiret, und schon aus der hohen Strassen herein über Lauban, Görlitz, Budißin, Camentz gefahren, daß dennoch derselbe nicht schuldig sey, weiter also fort über Grossen Hayn zugehen, sondern daß er von Camentz gegen Straßburg nach der Nieder-Lausitz abweichen könne, dahingegen unser Ober-Geleits-Commissarius Lucius den Gegentheil, und daß ein solcher Fuhrmann auf der hohen Strasse bleiben, und nur eigentlich über Grossen-Hayn nach Leipzig fahren müsse, zu behaupten gesuchet, dem auch Unser Cammer-Collegium beygetreten, und, wenn die declinirung von Camentz, oder anderer Orthen, und Vorbeyfahrung der Stadt Hayn verstattet werden solte, den grossen Schaden, welchen Wir an unsern Meißnischen Geleits-Intraden, nebst Unsern Landen, und Unterthanen, wie solches ermeldter Gleits-Commissarius deutlich remonstriret, jährlich daher empfinden würden, deutlich mit angeführet, Alldieweil aber obangezogene restriction auf das nach Leipzig oder Naumburg destinirte Schlesische und andere herein kommende Kauffmanns-Guth, und die daraus erfolgte Abweichung von der hohen Strasse, in soferne nehmlich die Waaren nach Hamburg und in die See-Städte abgeführet wür-

würden, und daß die Schlesische und der Orthen herkommende Fuhrleute die alte privilegirte hohe Heer-Strasse über Leipzig nicht anders zu fahren schuldig, als wenn sie ins Obersächsische, ingleichen in die Lande Meissen, Thüringen und Sachsen handelten, und daß hergegen ratione des in das Nieder-Sächsische eingehenden Kauffmanns-Guth diese Strasse innen zu halten, nicht urgiret werden könte, keines weges zu admittiren, immassen eines theils die uhralten und neuen Strassen privilegia, compactata, und die Kayserl. und Königl. Aussprüche, ohne Unterscheid auf die Leipziger und Naumburger Messe, und das daselbst bleibende, oder auch mit durch und weiter gehende Guth, deutlich in Munde führen, daß die Fuhrleute aus Pohlen und Schlesien, die den Queiß berühren, oder, wie denen aus besagten Landen kommenden Fuhrleuten allerdings obliege, berühren sollen, auf Lauban, Görlitz, Budißin, Camentz, Königsbrück, Hayn, Oschatz, Grimme und Eulenburg fahren, und keine andere Umwege suchen sollen, andern theils aber die in den alten Kayserl. und Königl. mandatis befindliche Worte: **in die Lande gegen Sachsen, Thüringen oder Meissen fahren und treiben,** keinesweges exclusive auf andere Lande, und daß, wenn die aus Pohlen und Schlesien kommende Fuhrleute nicht eben in diese benandte Lande die Waaren einführen wolten, sie die hohe Strasse inne zu halten nicht schuldig wären, zu verstehen, sondern selbige bloß und allein e. g. darinnen benandt, wie solches insonderheit aus Kaysers RUDOLPHI II. Macht-Spruch de anno 1589. **in Nov. und förder in die eusseren Lande, als Sachsen, Meissen, Thüringen auch weiter ins Reich,** deutlich erhellet, nicht weniger Unserer hohen Vorfahren an der Chur Christmildesten Gedächtniß, auch Unsere Selbsteigene Strassen-Edicta ein gleiches besagen, diesemnach die Schlesischen Fuhrleute, die auf der hohen Strasse biß Camentz fahren, von dar nach Grossen Hayn zuweisen, und ihnen von Camentz sich ab und auf Senfftenberg zuschlagen nicht zugestatten, sondern sie dahin anzu-

halten, damit sie ihren progreſſ über Oſchatz, und ferner biß Leipzig denen Mandatis gemäß fortſetzen.

Alſo begehren Wir gnädigſt, ihr wollet über dieſer alten Straſſen-Verfaſſung dergeſtalt ſtracklich halten, daß die Fuhrleute aus Unſern Königreich Pohlen und Hertzogthum Schleſien, wenn ſie einmahl den Queiß paſſiret, nicht weniger die Oberlauſitzer Handels- und Fuhrleute ohne Unterſcheid, ob ſie die Waaren auf die Leipziger oder Naumburger Meſſe, oder aber nach Hamburg und in die See-Städte führen, von der alten hohen Heer-Straſſe, wie ſie in den Privilegiis von Orth zu Orth beſchrieben, durchaus auf keine andere Straſſe ausfallen ſollen, denenjenigen aber, ſo nach Inhalt Königs GEORGII in Böhmen Mandat de anno 1462. den Queiß nicht berühren müſſen, noch zur Zeit die ſeithero tolerirte ſogenandte Nieder-Straſſe über Spremberg, und nicht Schleiffwege über Senfftenberg und Finſterwalde hin- und her zufahren, ſelbige auch dabey die hohe Straſſe, wenn ſie ſich drauff wenden wolten, zu bauen verſtatten ꝛc. ꝛc. Pari modo nonnulli in detrimentum viæ noſtræ illa, quæ de mercatoribus, ex Saxonia, Thuringia, Miſniaque in Sileſiam & Poloniam proficiſcentibus, conſtituta ſunt, explicant, atque ita reſtringunt, ut ſolos Saxones, qui ſuperiores dicuntur, ad viam hanc tenendam obligatos eſſe ſtatuant, alios vero & inprimis illos, qui ex inferiore Saxonia veniunt, relictis terris noſtris, quacunque incedere poſſe via, exiſtiment. Sed hæc opinio & ex edictis RVDOLPHI, ſupra adductis, confutari poteſt, & a sereniſſimo Rege noſtro his verbis fuit rejecta: Wir werden berichtet, daß die Fuhrleute ſich unterſtehen, die Straſſe aus Magdeburg und Hamburg nach der Ober-Lauſitz auf Leipzig zu zu verlaſſen, und den Weg mit ihren Güthern, als Toback, Wein und andern, über Zörbig oder Dölitſch zu nehmen. Wenn Wir denn, hierunter allen Unterſchleiff vorzubauen, und den Straſſen-Mandatis nachzugehen, geſonnen ſind. Als begehren Wir gnädigſt, ihr wollet denen Kauff- und Fuhrleuten derer Sechsſtädte bey Straffe der Contrabandirung,

keine andere Strasse mit ihren Güthern, als von Magdeburg und Hamburg über Leipzig zu nehmen, krafft dieses andeuten. Daran geschicht Unser Will und Meynung, und Wir sind euch in Gnaden gewogen. Datum Dreßden am 30. Junii 1712. Ne tamen quis sibi persvadeat, nostris demum temporibus adeo late hæc fuisse explicata, adjicimus hic literas FRIDERICI Ducis Lignicensis, in quibus MAVRITIO Saxoni significat, mercatores & aurigas Noricos, relicta via, qua per Saxoniam Lusatiamque itur in Silesiam, per urbem FRANCKENSTEINIVM eo profectos esse. Ex quibus satis superque apparet, jam illis temporibus mercatores & aurigas exteros, Poloniam Silesiamque adituros, ad viam Lusatiæ superioris regiam tenendam obstrictos fuisse. Ita autem literæ hæ sunt conceptæ: Nach dem Ew. Liebden den alten Gebrauch und Ordnung mit der Land-Strassen sondern zweiffel wissen, also, daß die schweren Wagen und Kauffmanns-Güther durch Ew. Liebden Land und Fürstenthümer und von dannen förder durch die Sechs-Städte auf Unser Liegnitzl. Fürstenthum gen Breßlau zu fahren sollen; Nun wollen wir Ew. Liebden Freundlicher Meynung nicht verhalten, daß Wir ietzo vor acht Tagen ohngefährlich in unserer Stadt Franckenstein gewesen, allda haben Wir gesehen, daß in die 50. Wagen Kauffmanns-Güther von Nürnberg auf Prag, und denn durchs Land zu Böhmen auff Franckenstein nach Breßlau durchgegangen, die zuvor allwege auf Ew. Liebden und unser Land zutreffen, dadurch also die alte gebräuchliche Land-Strassen abgehen, und Ew. Liebden und Uns an Unsern Zöllen und Regalien Abbruch geschehen. Das haben Wir Ew. Liebden freundlicher Meynung, damit dieselben diesen Sachen zu Verhütung Ihres eignen Schadens fürgedencken möcht, nit wollen verhalten, dann derselben freundlich zu dienen, sind Wir geneigt. Datum Lignitz, Dienstags nach Mathes Apostoli Anno Christi MDCLV.

XXVI.

XXVI.

Sed relictis his, quæ satis prolixe pertractavimus, progredimur ad illos, qui pontes extra viam publicam fecerunt, permiseruntque, ut peregrinantes, ex Polonia & Silesia venientes, ope illorum Quissum transirent, iterque inde per Lusatiam inferiorem prosequerentur. Fuerunt autem ejusmodi pontes Siegersdorffii, Tonndorffii & Klitzdorffii. Quos cum detrimento esse viæ regiæ intellexisset JOANNES GEORGIVS II. constituit, ut ii sub pœna 50. aureorum vectibus remissariis occluderentur, adeoque peregrinantes impedirentur, vetita via incedere. Sed cum præter spem voluntati Principis obtemperatum non fuisset, denuoque nostris temporibus ad Regis aures pervenisset, horum pontium ope diverticula invenire mercatores & aurigas, vectigaliaque defraudari, justissima indignatione motus anno 1708. mandavit, ut dejectis, qui exstructi essent, pontibus, nullus inposterum vel lapideus vel ligneus in illo flumine fieret, pœnamque centum aureorum in refragantes constituit. Et licet illi postea, ad quos pontes pertinebant, suppliciter orarent, ne hi dejicerentur, rex tamen optimus voluntatem non mutavit, sed saltem permisit, ut loco pontium dejectorum alii subitaneo opere, nec tamen transmittendis curribus onustis idonei, conficerentur.

XXVII.

Frequentiorem viæ nostræ usum impedivit aliquando pestilentia, quæ subinde pervasit illas regiones & urbes, ad quas peregrinantes hac via ducuntur. Movit id proficiscentes, ut, cum inprimis Naumburgum, oppidum ad Quissum flumen situm, tetigisset contagiosus morbus, relicta hac urbe & Lauba, via per silvam, quæ vulgo die Heyde dicitur, jam olim anno 1601. ab ABRAHAMO, Burggrafio Donaviæ, reprobata incederent. Postea vero quam morbus hic fatalis ex regione ista abiit, GERSDORFFIVS præses illos in viam redire jussit, his verbis usus: Des

Durchlauchtigsten Churfürstens zu Sachsen ꝛc. Verordneter Lands-Hauptmann ꝛc. Johann Adolph von Gerßdorff ꝛc. füge allen und ieden ꝛc. zu wissen, welchergestalt mir die Ehrbahre und Wohlweise Bürgermeister der Stadt Lauban mit höchster Beschwer vorgebracht, Nachdem nunmehro die Pest zu Naumburg am Queiß gar aufgehöret, und bey ihnen gleicher maassen gantz frey und sicher, daß ihr gleichwohl ungeacht der euch von ihnen vor diesen beschehenen, und durch ihren Zöllner allbereit wieder aufgekündigten Bewilligung, den bißher gebrauchten Beyweg über die Heyde noch immermehr suchen, und innen halten, und also der ausgesetzten hohen Land-Strassen auf Lauban euch eussern und enthalten sollet. Wenn denn tragenden Amtswegen, in Erwegung, daß dieses euer Beginnen zur Schmälerung der hohen Obrigkeit interesse, verächtlicher Hintansetzung hiebevor dieserhalb ausgegangenen Kayserl Executorial-Mandaten, auch gemeldter Stadt Lauban zum Nachtheil ihrer Privilegien, Abbruch ihrer Nahrung und Verkürtzung ihres Handels und Wandels gereichen würde, dißfalls reiffe Betrachtung zu thun uns obliegen und gebühren will. Als ist an statt und von wegen hochgedachter Ihro Churfürstl. Durchl. zu Sachsen ꝛc. meine Vermahnung und Befehl an euch, daß ihr samt und sonders bey Vermeydung der in vorgemeldter Stadt Lauban privilegiis und Freyheiten begriffenen poen und Busse ohne einigen Behelff, Ausflucht und Entschuldigung, den erwehnten Kayserl. Executorial-Mandaten allerdings gehorsamst nach verhalten, ohne einigen Unterscheid, die hohe ordentliche ausgesetzte Land-Strasse inne halten, des bißher gebrauchten Beywegs gäntzlich euch eussern und enthalten sollet ꝛc. ꝛc. Ex eadem causa clausa fuit via nostra, cum anno 1680. patriam nostram invasisset morbus contagiosus, quo tamen cessante illam sine mora aperuit JOANNES GEORGIUS III. in edicto anno 1681. publici juris facto. Bella quoque, quibus subinde patria nostra fuit afflicta, non parum damni viæ regiæ attulerunt, iterque admodum impeditum, periculosum, & insidiarum plenum reddiderunt, ut

ut mercatores & aurigæ nacti sint occasionem, a recta via discedendi. Mittimus antiqua, & in præsentiarum illius saltem mentionem injicimus belli exitiosi, quod avorum nostrorum memoria universam fere Germaniam vastavit, ex quo Lusatia nostra & Saxonia præter alia incommoda id quoque damni sensit, ut peregrinantes viam regiam adeo deseruerint, ut auctoritate FERDINANDI III. Imperatoris, & JOANNIS GEORGII I. Principis Electoris Saxoniæ, vix ac ne vix quidem reduci potuerint, quod ex iis apparet, quæ Cæsaris jussu anno 1650. in Silesia proposuit GEORGIVS RVDOLPHVS, Dux Lignicensis & Silesiæ præses, in Saxonia vero & Lusatia Princeps Elector modo dictus promulgavit.

XXVIII.

Sed, quæ est hominum temeritas, neque sic obtemperarunt, verum sæpius, ubi nec pestis, nec belli periculum metuendum fuit, recesserunt, diverticulaque ideo tantum quæsiverunt multi, ut vectigalia defraudarent. Modum excessura esset dissertatio nostra, si omnia hujus pervicaciæ exempla afferre, aut eas vias, quibus in detrimentum nostræ viatores incesserunt, memorare vellem. Reliquis tamen insigniores sunt viæ illæ per Friedland, Seydenberg & Schoenberg jam anno 1341. & 1356. a JOANNE, Bohemiæ Rege, & CAROLO IV. prohibitæ, item illa, qua per Saganum, Prebusium, Cotbusium, & Parchwitz itur, reprobata a GEORGIO Bohemiæ Rege anno 1462. & VLADISLAO 1503. nec non a FRIDERICO GVILIELMO & JOANNE GEORGIO I. Saxoniæ Principe Electore, porro illa, qua Neumarcki disceditur a via regia, prohibita a RVDOLPHO II. anno 1589. via über die Heyde, vetita ab ABRAHAMO Burggravio Donaviensi 1601. & Gersdorfio 1626. via per Parchwitz & Kutzenau a RVDOLPHO II. anno 1589. via per Sprem-

bergam & Hoyerswerdam, in rescripto FRIDERICI AVGVSTI de anno 1732. notata.

XXIX.

Ex his igitur apparet, parum quidem præsidii habituram fuisse viam nostram in sola designatione, nisi pœnæ simul in contravenientes sancitæ fuissent. Intellexerunt hoc JOANNES, Bohemiæ Rex, & CAROLVS IV. atque in iis, quæ de via nostra proposuerunt, edictis supra a nobis adductis pœnam commissi & corporis afflictivam statuerunt in illos, qui a via regia discederent. Cum vero ne sic quidem coercerentur contumaces, GEORGIVS Rex an. 1462. in sententia, inter JOANNEM Ducem Saganensem & Gorlicenses dicta, pœnam 50. marcarum auri puri in omnes, qui quicquam in fraudem viæ regiæ fecissent, constituit, mentemque his verbis expressit: **Darum gebieten Wir allen und iglichen Unsers Königreichs Unterthanen und Getreuen ernstlich, mit dem Brieffe, daß sie die obgenandten von Görlitz an solchen gemeldten Freyheiten, Gnaden, Privilegien, Rechten und Herkommen, auch an diesem unsern Rechtspruche nicht irren oder hindern, noch ihnen keinerley Eintrag thun, sondern sie fürbas ewiglich geruhiglich gebrauchen lassen, als lieb einem iedem sey unsere schwere Ungnade zu vermeiden, und bey der poen 50. Marck Löthigen Goldes, so in den obberührten ihren Freyheiten und privilegien und Brieffen begriffen sind.** Quæ mulcta, una cum poena commissi, ab omnibus, qui post hæc tempora imperarunt, Regibus Principibusque fuit confirmata. Inprimis autem a FERDINANDO I. ita sancitum fuit: **Daß alle und iegliche Kauff- und Fuhrleute &c. sonst keine andere Beywege noch ungewöhnliche Straßen suchen, treiben, noch fahren, bey unserer schweren Straff und Ungnade, auch bey der poen in den publicirten Kayserl. und Königl. Privilegien und Rechtssprüchen ausgedruckt, und bey Verlust der Güther, wo die angetroffen und auffgehalten, die Uns oder unser Königlichen Cammer heimgefallen seyn sollen.** Sed durum hoc nimis existimavit

Ry-

RVDOPHVS II. quod fieri posse intelligebat, ut mercatores, & quicunque alii, qui aurigis merces suas, alio transferendas, committunt, dolo istorum aurigarum, insciis sæpe & invitis rerum dominis, loca vectigalibus solvendis constituta prætervehentium, rerum merciumque suarum jacturam paterentur. Igitur rescripsit, ut propter fraudem inscio mercatore commissam solus auriga equis & curru mulctaretur, rei autem dominus a pœna esset immunis. Quodsi vero conscio hoc vel mandante merces non professus esset auriga, utrumque pœna commissi coërceri jussit his verbis: Und ob dieselben gedachten Kaysers FERDINANDI ausgegangene Mandata dahin gerichtet gewesen seyn, daß, auf den Fall solche ietzt specificirte Strasse umgefahren oder umgetrieben würde, die Kauffleute ihrer Waaren verlustig werden sollen. Alldieweil aber sie die Kauffleute sich bey Uns zum höchsten beklaget, daß sie unschuldiger Weise um das ihre kommen würden, da sie der Fuhrleute und Viehtreiber Verwahrlosung und vorsetzlichen Umfahrens und Umtreibens der Strassen entgelten, und ihrer Waaren verlustig seyn solten. Derowegen so haben Wir es aus diesen und andern beweglichen Ursachen dahin gnädigst limitiret, und geschlossen, wenn sich hinführo ein Fuhrmann anderer ungewöhnlicher und verbotener Wege, ausser der Land-Strassen, wie sie oben erzehlet, hinter des Kauffmanns, oder seines Factors verursachen, oder Willen, für sich selbst gebrauchen, und wieder dieses Unser Patent handeln würde, daß er seine Roß und Wagen, und was er sonst des seinigen bey sich haben würde, verlohren haben solle; Nicht weniger auch dasjenige, so etwan sonst von Waaren unverzollt von dem Handelsmann selbst unterschleifft würde. Wäre es aber auch Sache, daß es etwan aus des Handels- oder Kauffmanns Geheiß, oder mit derselben Vorwissen geschähe, und solches glaubwürdig bescheiniget werden könte, so sollen sie zugleich, der Kauffmann samt den Fuhrmann, leiden, und die Rosse, Wagen und geladene Waaren mit einander verfallen seyn, und dieselbige sowohl, als auch dasjenige, so etwan sonst von Waaren

unverzoll. von den Handelsmann selbst unterschleifft würde, als ein Contraband in unsere Cammer eingezogen werden ꝛc. ꝛc. Idem in Saxonia quoque dispositum esse, apparet ex edicto, quod a JOANNE FRIDERICO, MAURITIO, & JOANNE ERNESTO 1541. promulgatum fuit, hæc quidem verba continente: Da aber hierüber oder mehr angezeigte Land-Strasse umfahren, und die Unser Geboth übertreten würden, der oder dieselben sollen Unser beyderseits Fürstl. Schutzes in solchen Umfahren und Reisen verlustig seyn, auch Pferde und Wagen, und was sie eignes bey sich haben, führen, oder treiben, verwircket haben. Cum his conveniunt ea, quæ posthæc ab AUGUSTO, CHRISTIANO I. FRIDERICO GUILIELMO, CHRISTIANO II. JOANNE GEORGIO I. II. & III. itemque Augustissimo Rege nostro sunt promulgata. Id tamen inprimis mercatoribus, qui aliorum operam in transportandis mercibus mercede conducunt, FRIDERICUS GUILIELMUS mandavit. ut aurigas & omnes, quibus merces committunt, officii sui serio admoneant, his quidem verbis usus: Damit auch die Händler und andere, welche den Fuhrleuten und Viehtreibern Waaren aufdingen, sich vor Schaden und Nachtheil zu hüten haben, so thun Wir dieselben gnädiger Wohlmeynung verwarnen, daß sie solchen gedingten Fuhrleuten und Viehtreibern untersagen und einbinden, keine andere, denn die ausgesetzte ordentliche hohe Land-Strasse, zu fahren, zu treiben, und zu gebrauchen ꝛc. ꝛc.

XXX.

Ut vero eo melius viæ nostræ consuleretur, & ne haberent peregrinantes, quo fraudem tegerent, aut excusarent, a RUDOLPHO II. Imperatore, anno 1597. constitutum fuit, ut mercatores & aurigæ merces & omnia, quorum nomine vectigal est solvendum, primo quoque loco, pendendo telonio destinato, profiterentur, portoriumque solverent. Verba ejus hæc sunt: Darnach ihr euch zu richten, und mit Baller-Zettuln der Orthen, da ihr austreibet, und ausfahret,

ret, zu versehen werden wissen. Dann ihr mit dergleichen Bekäntnüssen, die ihr auf den Mittel- oder letzten Gleits- Städten ausgebracht, zu Verhütung bißhero geübten Unterschleiffs, nicht passiret, sondern die Execution unverzüglich an die Hand genommen werden soll ꝛc. ꝛc. Idem jam antea anno 1594. præceptum a FRIDERICO GVILIELMO, & postea in omnibus, quæ hac de re emissa sunt, edictis repetitum fuit. Idque hodienum quoque est observandum, nisi quis pœnas lege statutas incurrere velit. Præterea publicanis mandatum fuit, ut literis, quæ in soluti vectigalis testimonium dari solent, inserant, qua via sit incedendum. Adeoque minus recte arguuntur illi teloniorum exactores, qui, voluntati principum morem gerentes, peregrinantibus, quo progrediendum sit, demonstrant. Magistratibus denique omnibus injunctum fuit, ne patiantur, ut quisquam temere ab hac via recedat. Inprimis vero illis, ad quas hac via nostra itur, civitatibus, quippe quæ vectigalia a transeuntibus accipiunt, negotium datum fuit, ut viæ regiæ curam diligenter agant, certosque constituant ministros, qui observent, qua quisque via incedat, ab occurrentibus etiam sciscitentur, an vectigalia solverint, fraudis autem reos retineant, magistratibusque tradant pœna legibus sancita afficiendos. Ita enim anno 1589 rescripsit RVDOLPHVS II. Imperator: Damit auch diesen Unsern General-Mandaten endlich nachgelebet, und alle dergleichen bißher gebrauchte Contraband und Verfahrung, auch Abweichung von der rechten ausgesetzten Land-Straſſen gäntzlich und um soviel gewisser abgestellet und vermieden werde, so haben Wir den obberührten Unsern Städten in Schlesien und Oberlausitz Unsere offene Executorial-Mandate gegeben, ihnen auch diese Bewilligung gethan, daß sie durch die ihrigen auf alle diejenigen Handels- und Fuhrleute, so diesen Unsern Mandaten zuwider handeln oder auch Contraband treiben, und von der ordentlichen ausgesetzten Land-Straſſe auf Nebenwege abweichen würden, zu gebührlicher Straffe ermeldten Unsern Poenal-Mandaten nach bringen sollen ꝛc. ꝛc. Id ipsum post-

ea etiam sancitum est a JOANNE GEORGIO I. Saxonum Electore in mandato anno 1654. emisso, in quo hæc verba continentur: Als haben Wir nicht allein anitzo angeregtes Unser General Mandat hiermit öffentlich publiciren lassen, sondern wollen auch Unsern Städten ermeldtes Marckgraffthums Oberlausitz darneben aufgetragen und anbefohlen haben, daß sie, nach Inhalt dieses Unsers Executorial-Mandats, die Verbrecher, so, wie erwehnt, Unsern Mandaten zuwider, die ausgesetzte und oben specificirte ordentliche Land-Strassen muthwillig umfahren, und sich anderer Wege und Unterschleiffs gebrauchen, wo selbige betreten werden, zu der in den Mandaten gesetzten Straffe bringen sollen. Thun und geben ihnen auch wissentlich, in krafft dieses Briefes, Macht und Gewalt, also und dergestalt, daß sie durch ihre bestellte Strassen-Bereuter auf alle und jede dergleichen Verbrecher und Ubertreter unserer Mandaten, so die ausgesetzte alte Land-Strasse umfahren oder treiben, und neue Abwege zu wider Unsern Verboth suchen, auch sich einiges Unter- oder Durchschleiffes gebrauchen, gute Acht und Aufsicht geben lassen, und alsdann, wo sie selbige betreten, mit Rossen, Wagen und Gütern arrestiren, und folgends in das Amt der Oberlausitzischen Lands-Hauptmannschafft anmelden sollen, damit sie zu der in Unsern Mandaten beniemten und verwirckten Straffe gebracht werden mögen.

XXXI.

Ne autem peregrinantes, qui tanta, ut viæ regiæ insistant, severitate adstringuntur, justas conquerendi causas haberent, aut nimiis, quibus afficerentur, incommodis & molestiis deterriti provincias, ad quas hac via ducuntur, in posterum plane non adirent, jam olim ab VLADISLAO Bohemiæ Rege constitutum fuit, ne usquam vectigalia antiqua vel aggraventur, vel nova constituantur. Imo & ea, quæ Laubanensibus ipse instituenda permiserat, denuo sustulit, &, ne in posterum exigerentur, mandavit, his verbis usus: So erkennen und setzen Wir aus Unserer Königl. Macht und Vollkommenheit hiermit und krafft dieses Briefes, ob Wir iemands Unserer Untertha-

nen

nen in vorberührter Land-Strasse einige neue Zölle gegeben, oder alte gesteigert, und erhöhet hätten, als wir denn den Bürgern Unserer Stadt Luben auf ihre Unterrichtung, die Wir hernachmahls ungenügsam befunden, gethan haben, oder Wir und Unsere Nachkommen Könige hinführo iemands Neue Zölle geben, oder die alten steigern und erhöhen würden, daß solche Zölle und die Brieffe darüber ietzt als dann, und denn als ietzt, wiederruffen, auffgehaben, krafftloß, todt und abseyn sollen, und von niemands besucht, gefordert noch gegeben werden rc. rc. Pari modo in Silesia anno 1650. interdictum fuit publicanis, ne quocunque nomine vel titulo quicquam exigerent, quod postea a LEOPOLDO Imperatore repetitum, omnibusque serio injunctum fuit, ne usquam nova vectigalia exigerentur. Extollendum autem inprimis dignisque deprædicandum est encomiis Potentissimi Regis nostri in alliciendis exteris studium, quo ductus omnibus publicanis mandavit, ne quicquam audeant, vel agant, quod peregrinantibus aut oneri sit, aut molestiam fastidiumque pariat, sed ut potius exteros omni humanitate excipiant, juvent, & quacunque ratione opem illis ferant. Et cum peregrinantium quam maxime intersit, ut viæ sint planæ atque minus impeditæ, jam inde a RVDOLPHO Imperatore magistratibus demandatum fuit, ut viam regiam diligenter & sæpius purgandam, reficiendamque curarent. Caupones vero & stabularii admoniti fuerunt, ne pretio justo majore rebus, ad sustentandam vitam iterque prosequendum necessariis, imposito facerent, ut viatores a via nostra recedant. Hac de causa edicto anno 1589. a RVDOLPHO II. Imperatore promulgato inserta fuerunt hæc verba: Dagegen haben Wir auch diese Verordnung und Verschaffung gethan, daß an allen Orthen und Enden, da der Handels- und Fuhrmann solche alte ausgesetzte gewöhnliche Land-Strassen fahren, und besuchen muß, nicht allein die Strasse zu Weg und Steg, desgleichen die Furthe, Dämme und Brücken gebauet, gebessert, und so viel möglich richtig erhalten, sondern auch dem Handels- und Fuhrmann in den Städten, Märckten, und Flecken allenthalben um leid-

liche und billige Zahlung die Nothdürfft gefolget und mitgetheilet werden soll, damit sich niemand zu beschweren, und soviel weniger Ursache haben möge, sich anderer verbothener Umwege zu gebrauchen und unsere Zölle zu verfahren. Idem a subsequentibus Imperatoribus, principibusque tam in Silesia quam in Lusatia Saxoniaque saepius fuit repetitum, & inprimis a FRIDERICO AVGVSTO, clementissimo Rege nostro, Lusatiae superioris praesidi Ponicavio anno 1718. commissum fuit, ut magistratus de viis reficiendis serio admoneret, his autem officio non satisfacientibus, ipse praeses publicis sumtibus, a morosis illis magistratibus restituendis, viam regiam refici juberet. Cauponum vero & stabulariorum avaritiam & in augendis rerum pretiis temeritatem non solum anno 1708. reprehendit, &, ut desisterent, sub gravi poena injunxit, sed idem etiam anno 1725. denuo repetiit, publicanisque negotium dedit, ut illos observarent, modum autem excedentes magistratibus significarent, deferrentque justa poena afficiendos.

XXXII.

Atque haec sunt L. B. quae de via Lusatiae superioris regia dicenda putavimus. Explicavimus nimirum, quanta fieri potuit, brevitate ejus institutionem. Monstravimus initia, quaeve loca adeunda sint. Ostendimus etiam, quinam viae huic nostrae insistere debeant, quidve singulis peregrinantibus observandum sit, monuimus, denique omnes, tum diverticula quaerentes in viam reduximus, tum illos, qui quicquam adversus viam regiam ausi sunt, ex summorum Imperatorum, Regum, Principumque edictis, decretis, mandatis, privilegiisque confutavimus. Ceterum, si quae minus recte scripta, aut non satis elaborata limataque in hac dissertatione nostra inveneris, noris, primum hoc specimen non vanae quodam gloriae studio susceptum, sed ideo potius editum, ut & Regis voluntati morem geramus, & iis, quibus obsequium & reverentiam debemus, vitae in academia actae studiorumque nostrorum reddamus rationem. Boni igitur & aequi haec nostra consule, musisque nostris fave & vale.

PRAE-

PRAESES
RESPONDENTI SVO
SALVTEM.

Ista de via regia per Lusatiam lucubratiuncula, quam nunc publice proponis ac propediem me præsidente tueberis, tota tua est, nihilque in ea meum. Venisti scilicet ad me sponte, velleque te de hoc argumento disputare dixisti, accepisti aliquot ex bibliotheca mea libros, &c, interiecto circiter mense, reversus obtulisti mihi præsens scriptum. Inspexi ego id cursim saltem, quod negotia mea mihi longam moram non indulgent, sed tamen cum voluptate. Animadverti enim, te ultra, quam vulgo solet, laborasse, ut latine & emendate scriberes. Scio ego, quam id sit difficile in commentationibus juridicis, quas non sine caussa *Plinius* literas illiteratissimas appellat. Nosti locum ejus in *epist.* 10. *libri I. Distringor officio, ut maximo, sic molestissimo; sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas, scribo plurimas, sed illiteratissimas, literas.* Oportet tamen jureconsultum omni ope & opera eniti, ut in forensibus etiam caussis stylo non quidem prorsus polito, sed tamen minus, quam alii, barbaro utatur. Quod quum tu quoque feceris, charissi-

me reſpondens, laudo diligentiam tuam & ingenii elegantiam. Quod vero ad ipſum opuſculi tui argumentum attinet, mirifica ex eo tua in patriam tuam pietas elucet. Placebit ea cordatis omnibus, ac, ſi quid etiam abs te in elaboratione peccatum fuit, facilius excuſabit. Ego, quantum quaſi per tranſennam præteriens ſtrictim videre potui, nihil, quod venia magnopere opus eſſet, deprehendi, atque adeo vel nihil, vel pauxillum, emendavi, diplomata etiam inſerta, ſicut erant, tuam fidem ſequutus, reliqui. Nihil, quod juribus Regis noſtri adverſaretur, aut eum cum vicinis principibus committere poſſet, obſervavi. Si quid vero poſitum eſt, privatorum commodis forte contrarium, hoc ego, quamdiu alteram partem non audivi, meum non facio, ſed ſaltem e cathedra, more academico, tuebor. Norunt omnes, ſcripta hujus generis nemini jus ſuum, ſi quod habet, auferre. Ne tamen prorſus aſymbolus ſim, adieci corollaria quædam ex doctrina de viis publicis & de vectigalibus, permittoque his, qui nobiscum decertabunt, ſive hæc, ſive ipſum ſcriptum tuum, oppugnare. Tu interim vale, & hac, quam ſtrenue ingreſſus es, virtutis via porro incede.

Datum Vitembergæ XIII. Kl. Jul. anni cIↃ IↃ xxxii.

COROL-

COROLLARIA.

Via publica inter regalia refertur a FRIDERICO Imp. in 2. F. 56. Atque hoc jure hodie adhuc censetur. Igitur etsi princeps alicui fundum cum omni in eum jurisdictione concesserit, jurisdictionem tamen in viam publicam, seu jus cognoscendi de criminibus in ea commissis, dedisse non videtur. ZIEGLERVS *de Juribus majestatis lib. 2. cap. 17. §. 30.*

II.

Quum princeps refectionem viarum publice indicit, non hi saltem, qui immediate principi subsunt, sed & rustici, qui operas prædiis equestribus debent, ad refectionem istam obligantur. Dixi in *specimine XXVI. de Publicis rebus med. 5. 6.*

III.

In Saxoniæ electoratu de jurisdictione in vias publicas singulariter **in der** *Resolution* **und Erledigung der Gebrechen vom Jahre** 1617. *n. 24.* constitutum est, **daß unsere Unterthanen alle Händel, so sich auf denen Strassen begeben, da ihnen sonsten die Ober-Gerichte zustehen, unverhindert von unsern Ambt-Leuten zu richten haben sollen, und davon nichts ausgeschlossen, allein alle Gewalt-Sachen, Raub- und Zugriffe, auch öffentliche vehdliche Thaten, welche Uns, aus Krafft derer Regalien und Fürstlicher Obrigkeit, zu richten zustehen, wollen Wir Uns gleichfalls vorbehalten haben.** Privilegium hoc est magistratibus Saxonicis, non noviter tamen, sed olim jam anno 1506. a GEORGIO duce datum, quod commemorat MÜLLER *in Annalibus Saxonicis ad hunc annum pag. 63.*

IV.

Magistratus inferiores, etiam in Saxonia, omnimodam in vias publicas jurisdictionem præscriptione adquirere possunt, non alia tamen, quam immemoriali, arg. *c. 1. de Præscript. in 6.* Vide responsum JCtorum Vittembergensium apud ZIEGLERVM *de Juribus majestatis lib. 2. c. 17. §. 38.*

V.

Viator, etsi non moneatur, merces sponte profiteri & vectigal offerre debet. *L. 16. §. 5. 6. de Publicanis.*

VI.

Injusta vectigalia, si conscientiam spectes, licite eluduntur. Vide *Spec. 428. de Vectigalibus med. 2.*

VII.

VII.

De mercibus invectis, sed, non invento emptore, reportatis, bis vectigal exsolvi non oportet. *Ibid. med. 3.*

IIX.

Res, quas quis ex fundis suis ad usum proprium importat, a vectigali immunes sunt, *L. 5. C. de Vectigalibus.*

IX.

Non etiam eæ, quas quis alibi comparatas ad usus suos advehit. Vide *dictum spec. med. 5.*

X.

Conductor duorum diversorum prædiorum pro rebus, quas ex uno in alterum transvehit, vectigal debet. *Ibid. med. 6.*

XI.

Quisquis vectigalia sive terrestria sive aquatica recipit, iter facientibus vel in terra vel in mari & flumine viam securam & commodam præstare debet. *L. un. C. de Alexandriæ primatibus.*

XII.

Nimis liberaliter LUDOVICI *in Doctrina pandectarum tit. de Publicanis* §. 2. *De quibus rebus*, ait, *hodie vectigal solvendum, & quæ personæ ab ejus solutione sint immunes, hoc ex ff. addisci nequit, sed a cujuslibet Principis arbitrio dependet.* Imo vero principum potestas circa vectigalia legibus imperii publicis restringitur maxime, inprimis *Capitulatione* CAROLI VI. *art. 8.* quæ quid circa vectigalia innovari vetat, & cuilibet sibi ipsi jus contra innovantem dicere permittit.

XIII.

Etsi vectigalia vetera augeri nequeant, licebit tamen principi, postquam prisca pecunia hodie insigniter mutata est, habita veteris valoris ratione, amplius quid, quam olim constitutum fuit, exigere.

XIV.

Ignorantia juris fisco & publicanis non nocet. Itaque vectigal debitum, quod propter ignorantiam juris exactum non fuit, exigi adhuc potest. Dixi in *Specimine CCLXXXIX. de ignorantia & errore medit. 3.*

